



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 190. An, qui, ad quid, quando & qualiter adhiberi possint testes ad probandum in causa Hæresis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

Quest. 189. An & qualiter probatio hæresis ad condemnandum de ea aliquem requiratur?

1. **R** Esp. Primò: Ad condemnandum aliquem, ut hæreticum requiritur plena & concludens probatio, ut decisum videtur *c. lueras vestras. de præsumpt. ac ita tenent Roias tr. de hæret. 2. assert. 6. n. 150. Farin. q. 187. n. 2. & 5. aliquæ apud Castrop. tr. 4. d. 8. p. 10. n. 1. & si quidem est delictum gravissimum gravissimisque poenis punitur, nullus ex sola præsumptione dici potest illud commisisse; quin & non secus ac in aliis delictis, ut, (ceu tenent omnes juxta *c. sciant. cuncti. 10. q. ult. & L. fin. C. de probat.*) ad condemnationem requiruntur probationes luce meridiana clariores, ita & quidem à fortiore requiruntur eæ in hoc crimine, Castrop. *l. c.* unde mirum, quod asserit Carrerius *in pract. de hæret. n. 132.* apud Clar. *l. 5. §. hæresis. n. 20.* non solum ad inquirendum (de quo idem admittere videtur Clar. *l. 5. §. fin. pract. crim. q. 6. n. 7.*) in causa hæresis sufficiant minores probationes quam in aliis, sed & ad faciendam plenam fidem. De cætero duas imperfectas seu semiplenas probationes ad constituendam plenam probationem non sufficere, cum singulæ in suo ordine diversæ sint, probabilis existimat Castrop. *l. c. n. 7.* citatis pro hoc *gl. in c. veniens. de testibus. Gomez. Tom. 3. var. c. 12. n. 25. Farin. de reo confesso & convicto. q. 86. n. 22.**

2. Resp. Secundò: cum hæresis externa non nisi tribus modis committi possit, nempe scriptura, verbis, & factis, primò probatur commissa scripturâ, probando scripturam hæresim continentem propriâ manu Titii scriptam vel subscriptam seriò & accuratè (qualis non censetur, si scripta in chartulis seu memorialibus, quibus ultima manus non est imposta) vel ab eodem dictatam; ita cum Nav. *l. 5. conf. 6. à n. 1. Farin. de hæresi. q. 187. n. 11. Castrop. l. c. n. 2.* Secundò probatur commissa verbis probando verba hæresim clarè significantia affectivè seu ex animo & seriò prolata; secus si sint dubia; tunc enim interpretanda, ut potiùs delictum excludant, quam includant, nisi ea proferens esset aliàs suspectus, vel generis aut nationis infectæ. Roias. *l. c. p. 1. à n. 200. Penia. direct. p. 3. q. 62. comment. 111. vers. sed cum. Farin. l. c. n. 14. Castrop. l. c.* Tertio probatur commissa factis, probando aliquem ea fecisse, quæ errorem manifestè continent, neque in bonam partem accipi possunt, V. G. circumcidisse se, purificationem Judæorum facere, communionem more hæreticorum suscipere, Mahometo & Aleorano reverentiam exhibere &c. Param. *l. c. l. 3. q. 9. n. 17. Farin. n. 16. Castrop. l. c.* Adversus quæ in contrarium probatio afferri nequit, nisi probando, te non ex animo & voluntate assentiendi talibus erroribus, sed ex ignorantia, simplicitate ob amorem lucri, vel timorem mali aliòve respectu humano ea dixisse vel fecisse, quod probatu difficillimum, cum intentio soli Deo nota sit. An verò talis confitens verba & facta hæreticalia, & intentionem negans citra probationem hujus negationis condemnandus & puniendus sit tanquam hæreticus negativus, aut saltem torquendus, si citatus vel spontè compareat, vide fusè tractatum à Castrop. *l. c. à n. 4.*

Quest. 190. An, qui, ad quid, quando & qualiter adhiberi possint testes ad probandum in causa hæresis?

R Esp. Ad primum primò in genere: cum hæresis sit crimen summè detestabile, cedens in gravissimam reipublicæ Christianæ perniciem, ad extirpandum illud facilius, omnes admittuntur in testes, etiam ad testandum aliàs jure inhabiles, ut habet communis & certa; & quidem non solum in defectum aliarum probationum, sed etiam dum non deest copia illarum. Farin. *l. c. q. 188. n. 74. Pirh. b. t. n. 156. Castrop. tr. 4. d. 8. p. 15. §. 2. n. 7.* citatis pluribus aliis. Arg. *c. in fidei. b. r. in 6.* dum ibi dicitur: præsertim in defectum aliarum probationum, id est, *maximè*, quæ non est particula restrictiva sed ampliativa, ut Jo. And. *ibidem. n. 3.* & licet Arg. *cit. L. & Franc. ibidem. n. 3.* & *gl. v. in negotio inquisitionis;* admittantur, dum proceditur per viam inquisitionis, & non, dum proceditur per viam accusationis, hoc tamen ipsum quoque est probabile, ut Masc. *de prob. concl. 87. n. 31. Farin. n. 79. Castrop. l. c. n. 4. Pirh. l. c. cò quòd tam in accusatione quam in inquisitione eadem sit ratio, scilicet favor fidei & odium hæresis, vide dicenda resp. 3. seq.* Non tamen etiam istiusmodi inhabiles censentur testes integri, idèòque licet sufficiant ad inquirendum, & fortè etiam ad torquendum, vel ad penam extraordinariam, non tamen ad condemnandum sufficere, ait Pirh. *l. c. not. 5. Arg. cit. c. in fidei & citato Farin. n. 83. & 84. nisi eorum plures fuerint quam duo, & cum eorum depositionibus verisimiles concurrant conjecturæ & circumstantiæ. Quin & licet contra eos excipi nequeat, quòd non sint idonei, potest tamen in crimine hæresis excipi contra eorum dicta, quòd sint contrarii, varii, vacillantes, ut Farin. n. 82. apud Pirh. Illud denique hic notandum pro limitatione præcedentium, non omnes inhabiles in hoc crimine admittendos in testes, sed illos solos inhabiles, quos jura permittunt adhiberi, ne aliàs, si indifferenter omnes inhabiles admitti possent ac deberent, fideles innocentes exponerentur periculo calumniæ, ita ex Deciano. *tr. crim. l. 5. c. 35. n. 14. Farin. q. 188. n. 77. & n. 92. dicens videri sibi hanc limitationem verisimilissimam. Castrop. tr. 4. d. 8. p. 15. §. 1. n. 3. Pirh. b. t. n. 158.**

2. Resp. Ad primum secundò in specie: admittuntur in testes excommunicati (quod tamen videtur non intelligendum de excommunicatis excommunicatione majore, denunciatis & publicis percussoribus Clericorum existentibus in excommunicatione secundum dicta *quest. ante hanc. 2. in resp. 2.*) criminosi, infames, loci criminum, per textum *c. in fidei. b. r. in 6.* Secundò perjuri, etsi de perjurio penitentiam non egerint, modè ex circumstantiis & indicis colligatur vera dicere, ut Gondisal. *tr. de hæresi. q. 13. n. 12. Gigas de crim. lese Majest. l. 2. tit. quom. & per quos prob. q. 2. Farin. n. 82. & 91. Castrop. Pirh. l. c. &c. juxta *c. accusatus. §. licet. b. r. in 6.* ubi tamen non nisi ille perjurus admittitur, qui postquam veritatem celavit vel negavit, dein zelo fidei eandem manifestare intendit, ita ut si in alio casu fuerit perjurus, aut de falsò damnatus, ejus testimonium non admittatur, etiam in causa hæresis. Tertio admittuntur Judæi alique infideles contra Christianos judaizantes, vel à fide quomodocunque apostatantes, ne tam grave crimen defectu probationum maneat impunitum. Gondisal. *l. c. n. 10. Gigas q. 10. Farin. q. 184. n. 121. Castrop. n. 4. juxta textum *c. contra Christianos. b. r. in 6. & ibidem gl. Archid. Gemin. &c.* Idem est de hæreticis, ob eandem rationem, quorum quidem testimonium nullatenus admittitur contra fidelem ortho**

orthodoxum juxta leg. quoniam c. h. t. & licet iis etiam contra fidelem seu Christianum, qui à fide Catholica ad hæresim defecit, credendum non sit integrè, plenè ac perfectè (quod solùm vult textus *de dubiis. h. t.* dum ibi dicitur, iis omnino credendum non esse) aliqualem tamen probationem, nempe non plenam, sed imperfectam eorum testimonium facit juxta praxin inquisitionis, ac ita tradunt Simanc. *Cathol. instit. tit. 64. rub. de testib. à n. 43. Zecch in sum. p. 1. tit. de fide. rub. de heres. c. 11. n. 14. Masc. de prob. concl. 857. n. 9.* quos citat ac sequitur Castrop. l. c. n. 5. Quartò mulieres, etsi alias ob fragilitatem sexus juxta clarum textum *c. forum. d. V. S. & c. mulierem. 33. q. 5.* repellantur à testando, saltem, si ad instantiam accusatoris productæ in testes (secus, si ex officio à Judice examinatae, ut cum gl. in c. quoniam. de V. S. Farin. de heres. q. 59. n. 9. Masc. l. 2. concl. 762. n. 22.) nihilominus in causa hæresis in testes admittuntur. Farin. n. 20. Castrop. n. 7. per c. tania. & c. per tuas. de Simonia. Quindò domestici, familiares, consanguinei, servi adversus Dominum, Pater adversus filium, & contra, maritus adversus uxorem & contra, in criminibus exceptis, adeoque & hæresis, admittuntur per l. ult. c. ad Leg. Jul. Majest. ex ea etiam ratione, quòd melius mores suorum, quàm externi cognoscere possint, & remotiores præsumantur à dicendo falsum contra personas sibi conjunctas, quin & ad testandum cogi possunt in defectu aliarum probationum, Farin. l. c. n. 145. Et plenam fidem faciunt, ut Idem. n. 164. non tamen admitti eos testes in favorem illius, contra quem inquiritur de hæresi ad defendendam ejus innocentiam, tenent Farin. l. c. q. 188. n. 81. Rojas. tr. de heres. p. 2. n. 177. assert. 49. Boss. tit. de heret. n. 3. Gundisal. tr. de heret. q. 13. n. 14. Repertor. inquisit. v. testes. vers. an illi testes. & alii apud Castrop. l. c. p. 15. §. 2. n. 8, qui tamen ipse citatis pro hoc Farin. sibi contrario de heres. q. 62. n. 97. & Gomez. Tom. 3. var. c. 12. rub. de probat. delictor. n. 23. credit, admitti illos posse pro defensione hæretici, præsertim, dum defensio aliter haberi nequit; eò quòd si in favorem fisci & actoris admittantur ad probationem criminis, non sit ratio, cur non etiam in favorem delinquentis ad defendendam ejus innocentiam. Sextò minores 14. annis & cujuscunque ætatis, modò deli capaces sint, non secus in crimine hæresis, quàm lætæ Maj. testari possunt; quia ad hoc cogi, imò torqueri possunt per L. de minor. ff. de quest. Farin. q. 188. n. 75. Ad quam testificationem, ut valida sit, requiri auctoritatem tutoris vel curatoris, juxta l. clarum c. de auctoritate præstand. assertit Masc. concl. 62. n. 5. quod tamen in praxi non servari, testatur Farin. q. 54. n. 4. Septimò quid in hoc puncto testificandi in causa hæresis dicendum de inimico capitali, infer ex dictis supra q. ante hanc 2. resp. 2. si enim ab accusando, multò magis à testificando repellendus, & siquidem admittendus, ejus testimonium tanquam infirmum respiciendum, ut Decian. l. c. n. 10. Paris. l. 4. conf. 2. n. 46. in fine. Penia, Campeg. Locat. &c. quos sequitur Castrop. n. 9. qui etiam n. 10. probabilius censet, quòd, quod in hoc puncto dicitur de inimico vero, idem dicendum de eo, qui cum illo amicitiam strictam seu confederationem & affinitatem contraxit. Idem quoque dicendum de inimico reconciliato recentior ob timorem, ne in animo residentibus adhuc reliquiis inimicitia, vindictam sumat deponendo falsum. Secus de reconciliato à longo tempore, qui proinde repellendus non est à testificando. Masc. de R. P. Leur. jnr. can. Lib. V.

probat. l. 2. concl. 857. à n. 47. Rojas sing. 299. n. 4. & de heret. p. 2. n. 233. Farin. q. 188. n. 105. Castrop. l. c. n. 11. Quando autem reconciliatio recens, quando antiqua, & bene fundata, relinquendum Judicis arbitrio. Clar. §. fin. præcl. q. 24. vers. sed quid. Farin. q. 94. n. 10. Castrop. l. c. nunquam tamen præsumitur; quia simul probatus inimicus per se verare in inimicitia præsumitur juxta L. in ipsius. C. familiae eriscunda. adeoque alleganti cessationem incumbit onus probandi. Menoch. l. 5. præsumpt. 42. n. 7. Farin. q. 64. n. 62. Castrop. l. c. Porro ut ratione inimicitia repellere quis possit à testificando, ea non debet esse procurata à parte ad eum repellendum, qui crimen manifestaturus erat; cum nemo ex iniquitate commodum reportare debeat. Gomez. Tom. 3. var. c. 12. n. 14. Masc. de prob. l. 2. concl. 848. n. 54. Farin. q. 54. n. 64.

4. Resp. Ad secundum: dicti testes alijs inhabiles admittendi ad probandum delictum & circumstantias illius intrinsecas, seu ex quibus delictum infertur, non verò ad probandas circumstantias eisdem extrinsecas, tamen delicto præsupponantur, V. G. hæresis ab Ecclesia punienda committi non potest, nisi à baptizato; testes autem criminosi, aut alijs inhabiles, etsi ad probandum admittantur, non videntur tamen admittendi ad probandum Baptismum; quia Baptismus cum hæresi nihil commune habet; cum ex Baptismo non inferatur hæresis, neque ex hac Baptismus, bene tamen admittuntur ad probanda indicia, ex quibus hæresis inferitur, V. G. ad probandam familiaritatem cum hæreticis conventicula secreta; quia hæc delictum inferunt, & sunt de intrinseca ejus substantia, qualia dici non possunt, quæ in alio genere delicto præsupponuntur, sed solum illa, quæ præsupponuntur delicto tanquam illativa illius, ita Castrop. l. c. §. 2. n. 1.

5. Resp. Ad tertium; admittendi sunt inhabiles, non solum dum proceditur viâ inquisitionis, ut gl. in c. in fidei. v. inquisit. Jo. And. ibidem. n. 3. Gemin. n. 7. Franc. n. 3. Masc. l. c. n. 3. Repertor. inquisitor. v. testes vers. nota distinctionem, Farin. q. 188. n. 78. sed etiam dum proceditur viâ accusationis, ut probabilius censet Castrop. l. c. p. 15. §. 2. n. 3. citatis Farin. de testibus. q. 72. n. 89. Masc. de prob. concl. 857. n. 31. Carter. tr. de heret. n. 120. & alijs, sic interpretantibus verba *cir. c. in fidei. In fidei favorem concedimus, ut in negotio inquisitionis hereticæ pravitatis excommunicati vel socii criminum ad testimonium admittantur* &c. ut noluerit Papa per illa hoc privilegium admittendi inhabiles testes in causa hæresis coartare ad casum procedendi viâ inquisitionis; sed commune quid intellexerit, cum, quocunque modo Inquisitor procedit, hæreticam pravitatem inquirat, adeoque in inquisitionis negotio versetur.

6. Resp. Ad quartum; probabilius est, istiusmodi testes alijs inhabiles posse, & regulariter admitti debere sine tortura, quoties ex officio Judicis examinantur, ipsi ex propria conscientia deponunt; cum non videatur justus; torqueri testem, cujus multa interest testari, & cujus testimonium favor Reipublicæ ac bono communi, in cujus grave detrimentum cederet, si averterentur à testificando, dum nimirum scirent, testimonium suum non admittendum, nisi prius tormentis firmaretur. Ita Castrop. *cir. §. 2. n. 6.* citatis alijs, qui tamen secus assertit de teste productò in sui favorem, vel ab accusatore pro sua intentione fundanda, quem Judex admittere cogetur. De cætero compelli posse quoscunque (exceptis inimicis capitalibus) ad comparandum testi-

monii ferendi gratiâ, etiam fratrem adversus fratrem, filium adversus patrem in causa Hæresis, quoties ad cognitionem veritatis id expedire videbitur Inquisitori, sentire omnes, testatur cum Farin. q. 188. n. 2. Castrop. l. c. §. 3. num. 1. non obstante, quod compellendus existat extra Inquisitoris jurisdictionem ad duas diatas, sed etiam quantumcunque absens citandus, ut iidem & alii juxta c. officium. §. denique. h. t. in 6. Cautè tamen quò ad hoc agendum, præsertim cum viris illustribus, ita ut hi rogandi potius sint ad comparandum; quin & sæpe convenientius adeundi ab Inquisitore, vel alio vices illius supplente, citatio verò hæc testis extra territorium Inquisitoris existentis fieri debet datis Requisitionibus ad Episcopum vel Inquisitorem istius loci, qui tenetur citatum transmittere, ne aliàs censetur Officium Inquisitionis impedire. Farin. l. c. n. 4. Castrop. num. 2.

Quæst. 191. Quando & qualiter hi testes examinandi eorumque testimonium publicandum, & si falsum dixerint, puniendi?

1. **R**esp. ad Primum: In hoc crimine testes examinari possunt lite non contestata, & parte non citata; quia in hac causa non tenetur Inquisitor formam judicialem servare, sed potest procedere simpliciter & de plano juxta dicta supra. Simanc. Cath. instit. tit. 64. rub. de testib. num. 15. Farin. q. 188. n. 15. Pegna p. 2. direct. comm. 19. in c. veritatis. de Dolo & contum. Castrop. cit. §. 3. num. 3. Et sic examinati non tantum juvant ad inquirendum, ita ut dehi citata parte repeti non debeant, sed etiam probant contra reum, valèntque eorum testimonium, absque eo, quòd repetatur parte citata, saltem, ubi inquisitus eorum examini non contradicit, nec eos repeti postulat. Masc. de prob. L. 1. in præfat. q. 5. n. 41. Simanc. l. c. n. 16. & 28. Farin. l. c. n. 14. Decian. l. c. L. 3. c. 10. num. 14. Castrop. l. c. Sed neque (etiam dum ob potentiam inquisiti non timetur testibus, si repetantur, & eorum nomina publicentur) requiri citationem rei ad depositionis antea factæ valorem, ut is opponat, si quid habet in contrarium, probabilius censet Castrop. num. 4. citatis Calderin. tract. de Hæretic. rub. de mat. process. inquisit. n. 2. Simanc. L. 1. commen. in lucern. inquisit. v. tortura. n. 51. Repertor. Inquisit. v. testes. vers. item non. & c. Neque sequitur exinde, posse reum sine citatione condemnari; cum ad condemnationem non solum requiratur probatio delicti, sed probatio delicti ab inquisito non infirmata, ad cujus effectum necessaria est citatio.

2. **R**esp. ad Secundum: testes lite non contestata, & parte non citata examinati, dum citatus & Inquisitus reus aliquid opposuit, vel interrogatoria dedit, quibus veritas amplius investiganda, testes repeti debent, & si desuper examinati dictis oppositionibus & interrogationibus non satisfecerint (cum vel sic depositio antea ab eis facta multum infirmetur) debent iterum examinari, ut depositiones prius factæ firmæ permaneant. Secus, seu examen repeti non debet, si citatus & Inquisitus nihil opposuit. Pegna. l. c. Scacc. l. c. c. 98. n. 7. Farin. de testib. num. 22. & 27. Castrop. num. 5. Quin & dicti testes post citationem rei, dum is nihil opposuit, repeti possunt, & examinari denuò, præsertim in criminalibus, quoties de gravissimo præjudicio inquisiti agitur, ut Farin. & Castrop. l. cit. Porrò testes examinati si denuò examinantur,

debent summarie primam suam depositionem referre, quin ea illis legatur vel ostendatur, ita ut non satisfaciant se generaliter ad eam referendo; eò quòd licet talis generalis relatio in aliis depositionibus fieri possit ob evitandum variationis periculum, ut Bart. in L. eos qui diversa. ff. de falsi num. 6. in crimine tamen Hæresis, ubi ex testium depositione tam grave periculum imminet inquisito, quòdque vitare tam facile non potest, cum nomine testium non publicentur, nec copia prioris depositionis detur inquisito, necesse est in secundo examine testem deponere, ac si tunc primo examinaretur, ut veritas melius cognoscatur, ita ferè Castrop. l. c. cum Farin. l. c. num. 35. Roias & aliis. Limitantibus tamen hoc ipsum ita; ut si inter primam & secundam depositionem longum tempus intercessisset, testis possit deponere, prout recordatur, addens, se ex integro ad primam depositionem sese remittere, & se hanc secundam velle corrigere per primam, si fortè fuerit illi contraria. Debent autem hi testes ex prima instantia examinandi examinari secundo coram Notario & duabus personis discretis & religiosis, id est, honestis, sive clerici, sive laici sint. c. ut officium. h. t. in 6. Quas tamen duas personas raro adhiberi, & ex usu hanc examinationem fieri coram Notario & Fiscali, ait Castrop. num. 6. & adhibendas solum ex consilio, non ex præcepto asserit apud eundem Pegna. Quòd si tamen Notarius defecerit, hunc defectum supplendum duobus viris honestis, quorum unus dicta scribere, & alter ea subscribere debet, ita, ut opus non sit, utrumque dicta testium scriptis mandare. Pegna, Farin, Castrop. l. cit.

3. **R**esp. ad tertium: Facta depositione testium, ea reo publicanda est, suppressis nominibus delatorum & testium, ne hi à testificando arceantur, adeoque nec copia reo danda aliquarum circumstantiarum depositionis, ex quibus devenire posset in notitiam adversus se testantis seu deponentis. Ita Eymers. p. 3. director. n. 119. & ibidem Pegna comment. 29. Farin. de Hæres. q. 188. n. 7. & 8. Castrop. num. 7. Arg. c. fin. h. t. in 6. juxta quòd tamen publicanda hæc nomine res, si exinde nihil timendum testibus. Quamvis, quia hodie dum semper præsumitur vindicta aliqua contra testes, si non à delato seu reo, dum hic potens non est, saltem ab ejus consanguineis, sociis, complicitibus potentibus, hæc publicatio non sit in usu, sicut in aliis judiciis; præsertim accedente Constit. Pii IV. incipiente: Cum sicut. Quà Sanctum, Inquisitores nunquam obligatos publicare reo nomina testium. Ita Repertor. v. nomina. vers. nunc videndum. Farin. l. c. num. 12. Param. de orig. Inquisit. L. 3. q. 4. rub. de expedit. process. num. 48. Pegna. p. 3. Director. q. 75. comment. 124. vers. tamen si verò. Castrop. l. c. Atque ex his à sortiore inferitur, testes in hoc judicio de Hæresi non esse confrontandos, uti id sæpe in aliis judiciis fieri expedit, ut reus facilius convincatur, juxta L. si postulerit. §. si questioni. ff. ad Leg. Jul. de adulterio. Farin. l. c. num. 28. Castrop. num. 8. alii, qui ab eo citati. Quamvis & hæc confrontatio in duplici casu in hoc judicio locum habeat, dum nimirum testis simul est socius criminis; cum tunc non ratione testimonii dandi, sed ratione societatis in delicto compelleretur ad subeundam confrontationem, ita Farin. num. 30. Delrio de Inquisit. Magar. L. 5. in 2. append. q. 39. Vel quando dubium est de testium fallitate, nec apparet, quâ